246

ILL^MI ET EXCELL^MI DOMINI,

D. GEORGII OSSOLINII,

Domini in Ossolino, Comitis de Thęczyn, Thesaurarij Curiæ Regni Poloniæ, Præfecti Bydgostień: Ricensis, Adzelensis, &c.

ORATIO:

Habita ab eodem Illustriss: & Excellentiss: D. ROMÆ, *in Aula Regia Vaticana, sexta Decēb. M.DC.XXXIII.*

Cùm Sereniss; ac Potentiss: VLADISLAI Quarti, Regis Polon: & Sueciæ, Electi Magni Moschorū Ducis nomine, SS. D. N. VRBANO VIII. Pontif: Max; obedientiam præstaret.

A DOMINICO RONCALLIO, Prothonotario Apostolico, Sacræ Regiæ Maiestatis Secretario, in lucem edita,

Atq; Illustriss: & Excellentiss: D. D. GASPARI de DONOFF, S. R. Imperij Comiti, Palatino Derpatensi, Præfecto Wieluneń: Laysceń: Boleslauień: Radomsceń: &c.

DICATA.

ROMÆ, Apud Franciscum Caballum, M. DC. XXXIII.
Deinde CRAC: In Offic: Andreæ Petricouij, S. R. M. Typ.

Anno Domini 1634 inscriptus librorum catalogo Joannis Sepatowii Premisliensis.

ILLVSTRISSIME ET EXCELLENTISS:

Domine, D. Colendissime.

MILITAREM liberæ gentis fortitudinem, iure meritò firmat, ac regit rarum benè & appositè dicentis eloquium. Hinc olim Romana Respublica, tunc demùm melius, ac sæpius triumphare visa, cùm Senatores non minus in Senatu, quàm in Castris, habuit eloquentissimos. Hinc diuersa liberè consulentium vota: hinc infractus militum ardor pronus ad arma coalescit in vnum, ac ferreas hostium acies perrumpit inuictus. Agreste

olim, ac liberum hominum genus, nonnisi per eloquentiam in campum excitum, diserto Principi colla subiecit, vt sese non hominis, sed solius facundiæ mancipium, ac seruum fateretur. Ita & nunc planè Romanæ par Polonorum crescit Respubl: quæ viros alit, non minus robore, ac prudentiâ, quàm eloquio florentissimos. Inter hos meritò admirata est nuper Roma, Illustrissimum & Excellentissimum Dominum Comitem, GEORGIVM OSSOLINIVM, Regium ad VRBANVM Pontificum Maximum Oratorem, quo, amore plusquam fraterno Illustrissimæ Celsitudini Tuæ coniuncto, nil habes in mundo charius, nil ad memoriam gratius, nil ad aspectum iucundius. Vidisses in illo sacro Summi Pontificis, ac Purpuratorum Patrum consessu, vniuersos pœnè arrigentes aures, oculosq; beneuolâ admiratione immotos. Vidisses omnes ab vnica bene persuadentis voce, ab vno tanta rerum ac maie-

state

ſtate verborum, tanta vi ſpirituq́ dicentis, ore pendere. Nempè deerat hoc ſolum immortali, quam hic in cæteris ſibi peperit gloriæ, vt quem Sanctiſsimus Pater, quem Roma inſolitâ pompâ propè triumphantem eſt amplexata, quem vnici titulo venerata eſt, diſertiſsimum, ac facundiſsimum diceret, ac parem ipſius facundiæ ſapientiam, parem eloquio fortitudinem admiraretur. Certè in omnium ore eſt; atque vnica voce tot Heroicæ vnius viri dotes prædicantur. Incredibili gaudio perfunderetur Illuſtriſsima Celſitudo Tua, ſi, quem animo contemplaris, hic oculis aſpiceres. Propterea, vt ſaltem muta redeat in POLONIAM, *quæ hic tantorum Virorum mirificè demulſit aures, eloquentia: ad Te typis impreſſam remitto, vt ex ipſa demùm lectione, tanti Amici gloriâ recreereris abundè. Tu, qui nuper vnicum humanæ fabulæ exemplum, lubricum Aulæ ſtatum feliciſſimè emenſus, triginta annorum ſpatio, pri-*

mum in Regia gratia locum tenuisti, fortiter, ac sapienter; ac panè expirantem Principem, oculis, manuq; deficientis Spiritus, simulq; perpetuo remanentis erga Te amoris signa, nutusque exprimentem, in tam inuido saeculo vidisti. Perge tandem, ac gloriae fructus Propinquiorum tuorum sanguine, tam fortiter, tum in Dacia, tum in Prussia, tum in Liuonia, ac Moscouia effuso, irrigatos, in tam benigna Republ: continuò faeliciter recollige, ac me demùm Tibi perpetuo deuotum, vt soles, complectere. Romae, quarto Idus Decemb: 1633.

Illmae Celsitudinis Tuae

Humillimus, deuotus, ac perpetuus seruus, & cliens,

Dominicus Roncallius,
S. R. M. Secr,

ORATIO.

VENIT iterum Romam VLADISLAVS, Pater Beatiſſime, & qui nuper Barbaricis ornatus laureis, ad tuos pedes venerabundus iacuit, is hodierna die triplici cinctus diademate, ante hanc Apoſtolicam Sedem Tuam, per me Oratorem ſuum, ſupplex procumbit. VLADISLAVS, inquam, Poloniæ, & Sueciæ REX, ac Magnus Moſchorũ Dux, qui antequam regnaret, Regũ ac Regnorum Tyrannos debellauit; qui Ro-

mam triumphator ſine triumpho ingreſſus, pia vota, & Pontificiorum pedum oſcula triumphalibus prætulit; qui cùm videri noſciq; maximè nollet, Vrbis, & Orbis oculos in ſe conuertit; qui nouâ Tyberim fælicitate beauit, cùm citra Rhenum fluere ſolitum, inuicta dextera, vltra Tyram, ac Boriſthenem traxit; qui denique deſertori Populo, Grecum Conſtantinianæ donationis diploma è ſuperba Gaza eripuit, tanquam pro Romano Pontifice pugnâſſet, cui Romam, hoſtium etiam ſpolijs, aſſeruit. De hoc tali, ac tanto Principe, Tibi Pater Beatiſſime, non in cunis, ſed in ipſo gloriæ, ac rerum geſtarum faſtigio, non fama, ſed aſpectu, ac familiaritate noto, quid in hoc ampliſſimo Orbis Theatro afferam,

haud

haud reperio. Iam enim olim ſapien-
tiſſimo Tuo iudicio omnes eius pene-
trâſti ac percenſuiſti virtutes, eaſque
vti probè cognitas, quæ liberæ gentis
ſceptra moderentur dignas iudicâſti,
cùm nõ ita pridem VLADISLAVM
vnum eſſe, qui Polonis imperare que-
at, ſolemni commendatione aſſeruiſti.
Huc ergo potius mea deflectat Oratio,
vt quos, qualeſque populos Tibi, San-
ctæq; Sedi Tuæ, ſupplices Rex noſter
ſecum offerat, declarem: quod dum
exequor, Pater Beatiſſime, Paterno
affectu fauebis filij, Pontificatûs tui na-
tu minimi, glorioſis conatibus. Solen-
ne enim Patrum eſt, eorum geſtis po-
tiſſimùm recreari, quos recentiori, ſi-
ue lucis, ſiue gloriæ, partu Orbi edide-
rint. Quidcumq; ergo gentium Septẽ-

trio tegit, quam latè à Carpathijs Mõtibus ad Caſpium Mare, à glaciali Oceano ad Pontum Euxinum patet Europa, totum id genuflectente VLADISLAO, ante Thronum tuũ proſternitur, Pater Beatiſſime. Omnes enim illæ gentes, aut liberis ſuffragijs eũ ſibi Regem dixerunt, aut hæreditario iure, licet refragæ, ad eius ſpectãt Maieſtatem, aut deniq; armis ſubactæ Dominum recognoſcunt. Sed primùm meritò locũ obtinet Polonia, quæ vti Principibus ſuis liberè paret, ita Religionem, & Sacra, nullâ vi, nullo metu adacta colit. Illa, illa Sarmatia, Romanorum armis imperuia, Romanæ Religioni mancipata: illa, tot olim ſuperſtitionum altrix, nunc vnius Dei ſerua: illa libertatis cuſtos acerrima, nullius

iugum

iugũ experta, Romanis Pontificibus, eorumq́; Sedi Apoſtolicæ obſequentiſſima. Polonia, inquam, quæ ſola mõſtra non parit. Nulla inde hęreſis, nullum ſchiſma, & ſi qui vicinarum gentium peſte afflati, acerrimo legum ſupplicio, & perpetuæ infamiæ nota, à reliquæ nobilitatis corpore reſcindũtur. Si quis legem, VLADISLAO IAGELLONE Rege latam, totius Nobilitatis, patrio more, conſenſu firmatã, legerit: fatebitur, nullius Concilij anathema hęreſim acriùs perſtrinxiſſe. Et quãuis iniquitati tẽporũ, amoriq́; conſanguineo aliquid indulſiſſe videamur: non tamen legem abrogari, vnquam paſſi ſumus, nec patiemur; teſtaturi poſteritati, nos legum, Patriæq́; ſalutem, vnius Religionis integritate firmare.

Hoc ipſo lugubri nuper Reipubl: no-
ſtræ Statu, cum SIGISMVNDVM
Regem, viuam pietatis Religioniſque
imaginem, Cœlo receptam, terris ere-
ptam planximus, vidiſſes, Pater Beatiſ-
ſime, illis ipſis centuriatis Comitijs, Se-
natum, populumq́ue Polonum, magis
pro Religione aduerſus cõciues ſuos,
dirâ hæreſi corruptos, certantem, quã
de communi Patriæ ſalute, aut de futu-
ri Principis electione ſollicitũ. Æqua-
uit feruor Procerum curam Antiſti-
tum; eorũq́ue, & Tui Apoſtolici Nũ-
cij ſolemnes exciuit gratiarum actio-
nes. Innatũ ſcilicet genti Polonæ aui-
tæ Religionis Studium. Hinc illa erga
Sacrorum Præſides obſeruantia, quæ
eis prima in Senatu Subſellia detulit,
& præcipuas Reipubl: partes curare
iuſſit.

iussit. Tacebo prodigam, vt ita dicam, in Templorum ædificia, ac ornamēta, liberalitatem: Omittam cultum Numinis, & sacrorum feruentissimum: hæc enim omnia ita se habere Orbis consensus asserit. Animorum certè eius gentis Magnitudinem, vel inde colligere licet, quòd à tot sęculis aduersus feros, & immanes nominis Christiani hostes excubent; nec stationē deserãt. Ottomanorum signa, quæ tot Acies, tot Vrbes validas expugnârunt, tot Mōtium claustra penetrârunt, fluminumq; impetus superârunt, tot Christianorum copias fuderunt; nuda Polonorum pectora stiterunt, & ne patētes, ac peruios ingrediantur campos, hucusq; prohibuerūt. Scythicam pernicitatem, ne vniuersam quaquàversus

peruagetur Europam, vnica Reipubl: nostræ moratur Prouincia. Moschos solo nomine Christianos, re & moribus quibusuis barbaris execrabiliores, toties vicimus, fudimus, & demũ nobilissimam eius Regionis partem in Prouinciam redegimus. Hæc omnia summa animi Magnitudine, ac prorsus Romanâ, steterunt. Parentauimus siquidem antiquæ Vrbi, Maiorum nostrorum ferocia læsæ, cùm in eius mores, & instituta transiuim⁹. Hinc libertatis studiũ; hinc æqui, iuris, ac legum amor; hinc masculę frugalitatis exempla, nil in moribus, nil in habitu corporis molle, vel effæminatum, nil acu pictum. Iuuentus prætextam, non in Cytharædorum gymnasijs, sed intra castra deponit. Equitibus rura paterna co-

na colere haud pudendum, ne vrbanis eneruati delitijs, bello fiant ineptiores. Humiles domos plerumque habitant: sed excelsos animos fouent; non propugnaculorum, non Pontis Sublicij, sed legum & innocentiæ præsidio tuti. Neq; verò hanc Magnanimitatem, ferociam quispiam dixerit. Cicurarunt Sarmaticam, si quæ fuit, feritatem, Religio & Musæ Latinæ. Has vbi è Septẽtrione deuolutæ gentes Latio mouerunt (credo equidem) castra secutas, eiq́; vitæ assuetas, Heliconi suo propè vltimum vale dixisse. Gentem profectò nostram adeò sibi mancipârunt, vt sine earum præsidio, & ornamẽto, militarem gloriam minùs gloriosam æstimet. Et meritò: earum enim beneficio libera Nobilium capita de se

ipsis

ipsis decernunt magno Nobilitatis ornamento. Neq; à Scholarum cathedris interpretes petimus, Latino freti eloquio, quod vnà cũ moribus & institutis, in partem gloriæ nostræ lubentes assumpsimus. Talis itaq; & tanta Polonia, ad Tuos pedes prima procumbit, Pater Beatissime: illud collum, nullius vnquam iugum ferre solitum, illas manus liberas, illum animum excelsum, & ad imperandum natum, Regis sui exemplo, Maiorũ instituto, Tibi submittit. Tuis auspicijs se VLADISLAVM Regem dixisse, ac proinde eum Tibi debere profitetur. Tu enim geniales eius Diuos Primum, ac Fælicianum Roma discessuro, in Sacris cineribus tribuisti, non sine Pontificio omine, cum primum Regum nostrorum

fore

fore, qui ſine æmulo: Fœliciſſimum, qui coniunctiſſimis tam populoſæ gẽtis animis, & ſuffragijs, Rex diceretur. Tuis ergo auſpicijs, Pontificum Maxime, habet VLADISLAVM Polonia, VLADISLAVS Poloniam, Tu vtrũque. Habebis, Deo fauente, VLADISLAI inuictâ dexterâ tandem aliquãdo Tibi, Sanctæq́; Sedi Tuæ mãſuefactos Scandicos rebelles Leones. Habebis & deſertores communis Paſtoris, ad Tuũ ouile propediem reduces. Exiuit etenim, Pater Sancte, filius hic Tuus, non ætate, & meritis, aut maieſtate, ſed capeſſitæ Regiæ dignitatis tempore minimus ad venationem, vt te ſatiet, famemq́; tuam impleat, auidam gloriæ Summi Dei, inde longæui auſpicaturus primordia imperij, vnde

Cœli, & Eccleſiæ ruinas ſperat reparandas. Erige hanc Tuam dexteram, Pontifex Optime Maxime, qua neſcio quo turbine motum, ac pænè ruẽtem Orbem retines, ſummo huius ſæculi bono dudum deſtinatus, & ſancta benedictione proſequere tam chari pignoris pios conatus. Excitabũtur hoc præclaro exemplo reliqui Chriſtianorum Principes, & poſtpoſitis pernicioſis eorum nomini, & gloriæ odijs, illuc arma conuertent, quò nefarij Imperiorum prædonis libido, iam tandẽ vindicanda, vocat. VLADISLAVS certè Rex, vti nunc ſe, Regnaque, & arma ſua Sanctitati Tuæ tradit, obedientiam præſtat, nec ſe ab huius Sanctæ Sedis auctoritate, & obſeruantia, vnquam diſceſſurum, profitetur: Ita Te

Duce,

Duce, Te auſpice, paratus ſemper erit Chriſtianorum Aquilas, notis ſibi itineribus non ſequi, ſed præire.

DIXI.